Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1707
Quelle:
Copyright:

christiane sit verum et credibile menti sane. 5.) *Vtrum Summum bonum inmutabile sit creator. et conseruator singulorum encium vniuersi.* Nomen Autoris minio praescriptum per Κακοζηλον quendam, ut alias, extritum est; ego in *Hussum* propendeo.

III. *fol.* 57. p. 2. *Posicio de vniuersalibus Magistri Stanislai.* Incipit: *Quia nonnulli modernorum contra res uere communes et vniuersales adeo sunt inflammati* &c. Ad calcem: *Tractatulus de vniuersalibus magistri Stanislay de Znoyma. compilatus ab eodem Anno domini M°. CCCC°. 8. in studio pragensi.* Sed adhaeret discussio sequentis Quaesiti: *Vtrum vniuersalia habeant solum nude pure esse in intellectu, uel preter operationem intellectus creati subsistant in propria forma.*

IV. *fol.* 70. *Istud est capitulum tertium Libri de trinitate beati Theodorii episcopi contra Sabelium qui dicit tantum unam esse personam in diuinis sicud et naturam.* Initium: *Quid est natura et substantia, et quid est de* (redundat?) *subsistentia atque persona. Natura et substantia in nullo significationum* (significatorum?) *differunt nisi nomine. Natura enim substantia est, subsistentia et persona in nullo significatorum differunt, nisi nomine. Subsistentia enim persona est* &c. Finis: *Inuenitur enim ab eis, qui non temptant eam, et apparet non discredentibus sibi.* Tam sententia quam phrases *Capituli* hujus *Theodorum Abucara* vel *Carae* in *Palaestina*, vel *Carrarum* in *Mesopotamia* Episcopum *Johannis Damasc.* discipulum Sec. VIII. Scriptorem loquuntur, de quo erudite disquirunt *Fabricius Bibl. gr. Vol.* IX. p. 176. et *Basnagius* in edit. *Lect. ant. Canisii* T. II. P. 2. p. 464. Non legitur illud inter Opuscula *Theodori* XLII. a *Jac. Gretsero* primum *Ingolst.* 1606. edita, neque Tractatu illo περι ἑνωσεως και σαρκωσεως comprehenditur, quem *Parisiis* 1685. 8. publici juris factum *Basnagius l. cit.* p. 474. repraesentavit. Itaque ἀνεκδοτον est, textu graeco primitivo dudum deperdito, aut hodiedum delitescente.

V. *fol.* 73. Collectanea Theologica in Alphabetum redacta, quibus alia e PP. et Jure Can. absque ordine lecta succedunt.

Codici praetexta est Membrana mutila, qua *Wenceslaus Patriarcha Anthiocenus et Boemiae Regis Cancellarius* vi potestatis sibi a *Bonifacio* IX. anno ejus *nono* (1398.) factae *Wenceslao* cuidam Regimen cujusdam ecclesiae confert. Plura colligi inde nequeunt.

CCCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus continet Partem potissimam vasti Operis *Johannis Hussi*, ut plura suadere videntur, licet *Cod.* DLII. nomen *Matthiae Parisiensis* praefixum sit, dicti *de Regu-* 895